

4949.

1353 Sept. 18.

Willeke Reyher, borgare i Lübeck, utfärdar skuldförbindelse å femtio groschen till Johan Ebbesson och sätter såsom säkerhet tvenne bodar i Skanör i pant.

Orig. på perg. i Danska Riksark.

Omnibus presens scriptum cernentibus Villekinus Reyher, ciuis Lybicensis, salutem in Domino sempiternam. Nouerint vniuersi me viro discreto, presencium exhibitori, *Johanni Ebbeson* dicto *Dyacr* in quinquaginta solidis grossorum bonorum et legalium teneri et esse veraciter obligatum, eidem vel suis heredibus per me vel meos heredes infra diem beati Michaelis archangeli nunc proximo futurum anno reuoluto in antiquis grossis aut tribus solidis sterlingis vel nouem solidis Lybicensibus pro quolibet solido grossorum integraliter persoluendis, pro quibus quidem quinquaginta solidis sibi duas tabernas meas pannicidarum dictas *lerbother* in *Næstwitheleyghe Scanør* situatas inpignero per presentes condicione tali, quod si predictæ taberne infra memoratum terminum redempte non fuerint, vt premittitur, extunc edem taberne sine aliquo vltiori additamento cedere debeant perpetuo iure possidende. In cuius rei testimonium sigillum meum vna cum sigillo *Lamberti Reyher*, conciuus mei *Bybicensis* (s: L-), presentibus est appensum. Datum anno Domini millesimo cc<sup>o</sup>cl tercio quarta feria proxima post diem exaltacionis sancte crucis

Sigill: n. 1 (bomärke): . . . . . R; n. 2 (bomärke): s' LAMBERTI . . . . .

4950.

1353 Sept. 20.

Stockholm.

Fogden i Jämtland *Nils Petersson* och *Fartegn* från *Helsingland*, hvilka tidigare legat i tvist med hvarandra, öfverenskomma om förlikning och skiljedom sig emellan.

Vidim. afskr. på perg. i Sv. Riksark.<sup>1)</sup>

Nouerint vniuersi, quorum interest seu interesse contingat presens scriptum, nos *Nicholaum Pæterson*, terre *Jæmptaland* aduocatum, et *Farthiegn* de *Helsingia*, amicitia et sedacione rixe inter nos hucusque mote iterata et fauorabiliter nunc facta, in nobiles viros dominos *Nicholaum Abiornason*, *Magnum Gislæson*, *Gregorium Styrbernason* milites et *Thorstanum Styrberni*, aduocatum *Stocholmie*, super estimacione et ordinacione satisfaccionis et emende minus deliquenti faciente vnanimiter consensisse, promittentes per presentes firmiter et districte, quod in curia *Erby* domini *Magni Gislason* predicti festo circumcisionis Domini proximo affuturo comparere debeamus, vbi tunc statuendum sit, quorsum et quando predictis viris nobilibus occursuri veniamus, opposituri responsurique super premissis, vt conuenit et condecet, verbis gratis. Gratium igitur et ratum nos habituros per presentes fide christiana compromittimus quicquid predicti nobiles inter nos fecerint in premissis, sed fide et honore saluis, sinistra quauis interieccione omnimode postposita et penitus

<sup>1)</sup> Intagen i en vidimation af riddaren *Nils Åbjörnsson* den 18 mars 1354.

circumscripta, ammodo ornari volumus et hucusque. In cuius testimonium sigilla nostra presentibus sunt appensa. Scriptum *Stocholmis* anno Domini m<sup>o</sup>cc<sup>o</sup>cl<sup>o</sup> tercio vigilia beati Mathei apostoli et ewangeliste.

4951.

1353 Sept. 24.

Visby.

Borgmästare och råd i Visby gifva tillkänna, att borgaren i Visby Nils Uphovel frivilligt afstått en åttandedel af det arf, som tillfallit honom genom hans broder Gerekinus Weldegens död.

Orig. på perg. i Lübecks Statsarkiv.  
Tryckt efter en afskrift af K. H. Karlsson i Sv. Riksark.

Vniuersis ad quos presens scriptum peruenerit proconsules et consules ciuitatis Wisby salutem in Domino sempiternam. Constitutus coram nobis discretus vir Nicolaus Vphouel, cuius noster, voluntate spontanea dimisit resignando octauam partem sue hereditatis per fratris sui obitum, videlicet Gerekini Weldegen, ipsi succedentem, cuius vtilitati et emolimento abrenunciauerat simpliciter et de plano. Preterea omnis cuius interest uel intererit in futurum ad nos habeat credenciam et respectum, quod pro huiusmodi hereditatis parte coram nobis per Nycolaum predictum resignata, ut premittitur, neminem(!) secundaria monicio aut posterior actio sequetur in futurum, vnde caucionem accepimus de premissa. Datum Wisby anno Domini m<sup>o</sup>ccc<sup>o</sup>liiii feria tercia ante festum Michaelis sub secreto nostre ciuitatis, quod presentibus a tergo iussimus inprimendum.

Sigillet (sköld med liljestängel och lamm) tryckt å baksidan; omskriften borta.

4952.

1353 Sept. 26.

Stockholm.

Fogden på Åland Sigurd Månsson gifver åt sin son Magnus såsom hans rätta fäderne ett fjärdingsbol i Björsby, Sunds socken.

Registr. Eccles. Aboens., fol. 274.  
Tryckt hos Hausen, Åbo domkyrkas Svartbok, s. 99.

Omnibus presens scriptum cernentibus Sigurdus Monsson, aduocatus Alandie, salutem in Domino sempiternam. Omnes et singulos scire volo per presentes, quod ex consensu coniugis mee dilecte et omnium heredum meorum aliorum dilecto filio meo Magno, presentis exhibitori, vnum fiærdunx boel terre in villa Biorneby parochia Sunda in Alandia sita cum omnibus suis pertinenciis, agris, pratis, pascuis, siluis, piscariis et exitibus aliis quibuscumque, nullis exceptis, contuleram, et confero sibi suisque veris heredibus iuretenus assignandum perpetue possidendo (o: -dum) conferens in ipsum dominium et liberam facultatem predicta bona tanquam verum patrimonium regendo, disponendo et irreuocabiliter habendo siue quomodocumque sibi placuerit secundum vsus sui exigenciam commutare. In huius cautelam et